

confessione? R. affirm. quia in agente pollutio est *per se*; in patiente vero quasi *per accidens*: quapropter si hic illam habeat, debet eam distincte exprimere.

185. Inq. 6. An in peccato sodomie circumstantia consanguinitatis, vel affinitatis addat speciem incestus in confessione aperiendam? R. affirm. quia non minus, sed amplius offenditur reverentia, & pietas cognatis debita in peccato sodomie, quam in aliis luxurie peccatis, ergo sicut in iis explicari debet circumstantia incestus, ita & potiori ratione in peccatis sodomie. Cæterum in huiusmodi congressu sodomitico non contrahitur affinitas; quia hæc necessario postulat copulam aptam ad generationem, qualis non est concubitus sodomiticus, nec etiam propter eandem rationem ex copula spadois; licet in utroque casu possit adesse circumstantia incestus.

## PUNCTUM VI.

## De penis contra sodomitas.

186. Inq. 1. Quæ sint penæ contra sodomitas impositæ? R. quod hoc execrabile crimen in primis iure divino plebitur pena mortis: *Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriatur. Levit. 20. 13.* Eandem mortis poenam assignat D. Paulus *ad Rom. 1.* non solum committentibus, sed etiam consentientibus hoc detestabile flagitium. Juxta D. Th. in nocte nativitatis Domini omnes sodomitæ extincti fuerunt, ne natura, quam sumpserat, tanta immunditia fæderetur. Mare mortuum successit loco Sodomæ, & Gomorræ, ne terra eo crimine infecta amplius videatur.

187. Jure humano etiam apud Ethnicos pena capitis, & ignis puniebatur sodomita. Jure civili authenticarum similiter mortis penæ subjacet. Jure Hispanico pena combustionis, & confiscationis bonorum merito plebitur. Jus canonicum excommunicationis anathemate puniit laicos sodomitas in *cap. Clerici, de excess. Prælat.* Clericos, sive sæculares, sive regulares, præter alias poenas iure

communi latas degradari, & potestati seculari tradi decrevit Pius V. in Const. edita 1568.

188. Inq. 2. An clericus sodomita in concubitu semen non effundens præfatas poenas incurrat? R. neg. penæ enim sunt odiosæ, proindeque restringendæ, ergo esto clericus accedens ad sexum, & vas non debitum reus sit peccati sodomie, non vero poenarum, aut reservationis, semine non effuso, in quo stat consumatio peccati. Idem est dicendum de clerico accedente ad foeminam in vase præpostero, etsi ibi seminet: quia non est perfecta sodomia, cum non accedat ad sexum indebitum. Idem etiam tenendum de clerico semel, aut bis perpetrante sodomiam, etiam consummatam: quia prædictæ poenæ sunt impositæ contra clericos eam *exercentes*; nemo autem exercere proprie dicitur, quod semel, aut raro peragit. Verum accedens ad foeminam in vase præpostero semen effundendo incurrit reservationem, ubi est reservatum peccatum contra naturam: quia esto non committat sodomiam perfectam, perpetrat tamen peccatum contra naturam consumatum. Similiter omnis clericus, sive agens, sive patiens sodomiam incurrit ejus poenas, quia uterque est vere sodomita.

189. Inq. 3. An clericus sodomiam exercens sit ipso facto ante sententiam iudicis privatus in foro conscientie ab omni officio, & beneficio jam possessis? R. neg. quia nulla poena privans iure jam acquisito incurritur ante sententiam iudicis, saltem declaratoriam criminis; alias teneretur quis spoliare, & prodere se ipsum. Verum est, quod si publicus sodomita existeret clericus, deberet abstinere ab omni ministerio ecclesiastico propter indecentiam, & scandalum.

190. Inq. 4. An clericus bestialitatem exercens incurrat præfatas poenas? R. negative, quia lex poenalis extendi non debet de uno in alium casum, esto hic gravioris malitiae sit, quando in utroque non eadem ratio, & omnimoda similitudo invenitur, quæ minime adest inter bestialitatem, & sodomiam, quia hæc facilius, quam illa committi potest. Pro coronide nota, sodomitam esse suspectum de hæresi, quia non bene sen-

tire præsumitur de immortalitate animæ, ideoque in Lusitania, aliisque regnis ejus punitio ad Inquisitores Fidei private pertinet. Verum iure Castellæ ejusmodi delictum est mixti fori, proinde ad præventionem sive ab Inquisitoribus, sive a iudice sæculari puniri valet. Ab eo autem absolvi non potest nisi per privilegium; est enim reservatum S. Tribunali, sicut cætera crimina de hæresi suspecta.

## PUNCTUM VII.

## De bestialitate.

191. Inq. 1. Quid sit bestialitas? R. est *concubitus cum individuo alterius speciei*. Bonitas hujus definitionis constat: quia per *ly concubitus* convenit bestialitas cum aliis speciebus luxuriæ, quæ per concubitum perpetrantur; & per aliquas particulas differt ab eis: quia sola bestialitas committitur cum individuo alterius speciei.

192. Inq. 2. An diversitas bestiarum, cum quibus delictum hoc perpetratur, debeat exprimi in confessione? R. neg. quia

diversitas specierum de materiali se habet ad confessionem; cum formale, & specificativum peccati consistat in accessu ad alterius speciei individuum. Concubitus cum Doemone sive incubo, sive succubo peccatum est bestialitatis, & simul superstitionis, propter societatem cum eo per accessum initam religioni oppositam. Præter hanc duplicem malitiam potest ejusmodi congressus alias diversas habere juxta diversitatem affectus, & representationis.

193. Hujus peccati gravitas satis constat ex sua detestabili deformitate, propter quam iure divino poena mortis punitur: Ideo omnia flagitia contra naturam excedit. Jure canonico mulier succumbans bestie, simul cum ea occidi decernitur: quod etiam præcipiebatur *Levitico 2. 15.* Eadem poena capitis imponitur iure Castellæ; imo in aliquibus Hispaniæ Provinciis reus bestialitatis cum bellua ipsa igne crematur. Sed jam calamus erubescit de vitio adeo immundis peragere, quæ nisi necessitas cogeret, potius ignorare, quam scribere oporteret. Utinam omnia cedant in majorem Dei gloriam!

## TRACTATUS DECIMUS OCTAVUS

## DE SEPTIMO, ET DECIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

## CAPUT I.

## De justitia, &amp; jure.

## PUNCTUM I.

## Notio, &amp; divisio justitiæ.

1. Inq. 1. Quid sit justitia? R. est *constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi*. Dicitur *voluntas*, id est actus voluntatis; residet enim justitia in voluntate tamquam in subjecto proprio: quia est virtus moralis rectificans voluntatem, & partem appetitivam. Dicitur *constans*, id est, non transiens, sicut actus, sed permanens, sicut potentia. Additur *perpetua*, hoc est, ex parte



objecti, ita ut semper servetur justitia proximo. Jus, idest, debitum secundum equalitatem, sumpto jure pro justo, & aequali. *Unicuique tribuendi*, scilicet, ut unicuique servetur immune, quod ei debetur. Definitio hæc Ulpiani communiter a theologis, & juristis cum acceptatione admittitur; verum theologice loquendo, justitia est *habitus secundum quem aliquis constanti, & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit ad equalitatem*. Sic theologi cum *D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 1.*

2. Inq. 2. An justitia sit virtus? R. affirm. quia facit bonum, & rectum illam habentem; imo est nobilissima, & præclarissima inter virtutes morales, quia non solum perficit proprium subjectum, sicut alie virtutes, sed etiam attendit ad alienam perfectionem, servando proximo equalitatem sibi debitam: qua ratione justitia semper est ad alterum, quia existit facere æquale, & nemo sibi æqualis proprie dicitur. Unde medium rationis in justitia est *medium rei*, quod non habent alie virtutes, istæ enim dirigunt actiones, & passiones juxta *medium rationis*, prout convenit proprio subjecto; justitia vero etiam prout convenit alteri.

3. Inq. 3. Quod sit objectum justitiæ? R. objectum formale justitiæ esse jus, prout dicitur justum, seu æquale, objectum materiale esse actiones exteriores, quibus æquale alteri redditur. Materia remota sunt res, quæ commutantur, vel distribuuntur, ut pecuniæ, agri, domus, beneficia, & similia. Jus autem tripliciter accipi potest. 1. pro lege, quo pacto leges, & sanctiones dicuntur jura, seu jus positivum. 2. pro legitima potestate, quæ nobis competit ad aliquid accipiendum, aut agendum. 3. prout idem est, quod justum, seu æquale, & hoc modo est justitiæ objectum formale. Ratio vero *sub qua* est æqualitas, quam intendit justitia, & ad quam semper respicit.

4. Jus in secunda acceptatione est potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, aut quasi functionem, cujus violatio injuriam constituit. Dividitur in *jus ad rem*, & *jus in re*. Jus ad rem acquiritur per venditionem, emptionem, contractum, aut pactum. Sed non potest quis uti tali re,

quamdum ad suum non transit dominium, ut sponsus nequit uti corpore sponsæ. Jus in re acquiritur legitima acceptatione, traditione, aut usucapione, per quam transfertur dominium ejus in accipientem: qua ratione ea uti valet, ut equo empto, & accepto a emptore. Jus in re, quod etiam dicitur realis, in novem partitur species, nempe: *Dominium, usus, usufructus, servitus, emphiteusis, feudum, pignus, hypotheca, & possessio*.

5. Inq. 4. Quotuplex sit justitia? R. est triplex, nam dividitur tamquam in species infimas in *commutativam, distributivam, & legalem*. *Commutativa* est partis ad partem. *Distributiva* totius ad partem. *Legalis* est partis ad totum. Per hanc trifariam combinationem positæ equalitatem justitia tribuens unicuique quod suum est. Ad quem finem solum aptæ judicantur præfatæ combinationes: nempe partis ad partem tribuens unicuique privato, seu particulari, quod ei debetur, quod efficit commutativa. Vel totius ad partes, ita ut totum tribuat partibus, quod eis competit, ut exequitur distributiva, cujus est distribuere præmia secundum merita. Vel tandem partis ad totum, ita ut quælibet pars tribuat communitati, quod debet, seu quod bono totius expedit: quod proprium munus est justitiæ legalis, quæ ad commune bonum intendit media legum observantia.

6. Justitia legalis residet principaliter in Principe, & minus principaliter in subditis. Distributiva principaliter in Superioribus, qui bona distribuenda habent, & minus principaliter in Inferioribus, quatenus conformantur justæ distributioni Superioris. Commutativa tandem reperitur inter partes communitatis unius civis ad alterum. Hinc potest etiam dividi justitia in *generalem, & particularem*. *Generalis* est, quæ ordinat hominem ad bonum commune. *Particularis*, quæ ordinat hominem ad alterum singulariter consideratum. Primum efficit justitia legalis; secundum commutativa: hæc omnia *D. Thom. 2. 2. q. 58. a. 12.*

## PUNCTUS II.

Explicatur justitia legalis, distributiva, & commutativa.

7. Inq. 1. Quid sit justitia legalis? R. est qua partes communitatis perfecte ordinantur ad justum boni communis. Dicitur qua partes: quia ista, ut tales, respiciunt bonum communitatis; si enim illud promoveant tamquam ejusdem patriæ incolæ, exercent virtutem pietatis, justitia vero legalis respicit bonum commune, ut pars, cui incumbit bonum totius promovere.

8. Inq. 2. Cur hæc justitia dicatur legalis, & generalis? R. dici legalem, non quia procedit secundum legem: hoc quippe commune est omni justitiæ, sed quia præcipuum ejus munus est attendere ad legum observantiam, ne paulatim remittatur, qua ratione appellatur in religionibus *observantia regularis*. Dicitur generalis, non quia sit communis in essendo, aut prædicando, sed quia bonum commune, ad quod attendit, materialiter est generale, deserviens communitati.

9. Inq. 3. An justitia legalis sit specialis virtus a cæteris diversa? R. affirm. quia ubi est speciale jus, & debitum, specialis justitia debet assignari, quæ secundum illud reddat æquale; sed bono communi competit speciale jus, & debitum, ergo datur specialis justitia, quæ illud reddat bono communi, etiam cum præjudicio particularis, qui bono communitatis cedere debet. Aliqui justitiam legalem dividunt in *specialiter sumptam*, & in *epikeiam*: illam, ajunt, esse, quæ ad legum attendit observantiam secundum verba legis: hanc vero, quæ eandem observantiam curat secundum Legislatoris intentionem præter verba legis in casu particulari. Unde videtur esse idem cum ea, quæ dicta est *eugnomosina*, ait *D. Thom. 2. 2. q. 80. a. unic. ad 5.*

10. Inq. 4. An inter civitatem, & civem possit dari justitia commutativa? R. affirm. nam quando civitas, Princeps, aut Superior paciscitur cum cive, vel aliquid ei dare debet debito stricto, considerantur, non ut civitas, princeps, aut

Superior, sed ut pars paciscens cum alia parte. Unde si pactum violet, tenetur ad restitutionem, quod non accidit ex violatione solius justitiæ legalis: quapropter hæc aliquomodo deficit a ratione justitiæ: quia non est omnino ad alterum, ut ex dicendis amplius patebit.

11. Inq. 5. Quid sit justitia distributiva? R. est qua bona communia distribuuntur inter partes communitatis secundum proportionem meritum. Actus ejus interior est recta voluntas distribuendi bona communia juxta meritum proportionem. Actus exterior est ipsa distributio facta, servata proportione. Medium rei in hac justitia non est æqualitas arithmetica, sed geometrica: Ut si præmium distribuendum sit ut sex, & habes meritum ut duodecim, alius autem ut octo: tibi danda sunt quatuor, alteri duo: quia sicut excedis in tertia parte, ita danda est tibi pars proportionabiliter major.

12. Inq. 6. Quid sit justitia commutativa? R. est qua redditur unicuique res propria secundum equalitatem rei redditæ ad rem debitam in commutationibus. Hæc justitia semper versatur inter partem, & partem; esto pactum sit inter civitatem, & civem: quia ut diximus, tunc civitas se habet ut pars. Actus ejus sunt, prout diximus de distributiva. Materia ejus remota sunt res, quæ commutantur, seu venduntur. Materia proxima sunt ipsæ commutationes. Medium rei est æqualitas arithmetica rei ad rem: ita ut, si sex debeas, sex reddas: præcipuum ejus actus est restituere, ut uno loco dicitur, ex quo patet actum imperare.

13. Inq. 7. Quid sit justitia vindicativa, & an a commutativa distinguatur? R. justitia vindicativa est virtus, qua superior subditum condigna pœna pro delictis punit. Non distinguitur a commutativa: quia per justitiam vindicativam rependitur delinquenti pœna æqualis delicto, & restituitur reipublice honor, quem ob scelus civis sui amiserat; sed reddere æquale, & restituere est proprium commutativæ, ergo ab hac non distinguitur vindicativa. Adverte tamen, actum, quo judex punit delictum, imperari a justitia legali bonum commune respicientem.



14. Objic. ejusdem virtutis est condigna merita remunerare, & delicta punire; sed primum pertinet ad distributivam, ergo & secundum. R. neg. minorem, quia dare pramia meritis condigna, non est munus justitiæ distributivæ, sed commutativæ. Unde respubli- ca ex justitia commutativa debet remunerare milites, & alios in ejus commodum laborantes: in quo assimilantur delictorum puni- tio, & meritorum remuneratio. Justitia autem distributiva non respicit, quid boni alius in rempublicam fecerit, sed quid boni habeat in se: ut si sit sapiens, virtuosus, aut pauper, vel nobilis; solum enim attendit ad proportionem, quam habet cum pramio distribuendo.

15. Ex dictis inferitur 1. justitiam commutativam specie differre a distributiva: quia hæc nec est inter partem, & partem, sed inter totum, & partem, nec respicit jus rigorosum, & proprium exigens æqualitatem arithmeticam, sicut commutativa. Unde ejus violatio non inducit obligationem restituendi, nisi quando jungitur cum justitia commutativa, & adest acceptio personarum in distributione; quo in casu duplex committitur peccatum: quia utraque violatur justitia, ut si conferas beneficium ecclesiasticum notabiliter minus digno, relicto digniore, contra utramque justitiam agis, & teneris restituere, tum digniori, tum Ecclesiæ, juxta qualitatem damni illati.

16. Inferitur 2. justitiam distributivam deficere etiam a ratione strictæ justitiæ, prout diximus de legali, quia inter totum, & partem non datur rigorosa justitia: eo quod pars est aliquo modo totius; & quod est totius, quodammodo est partis, ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 61. art. 1. ad 2.

### PUNCTUM III.

#### De injustitia, & vitiiis oppositis justitiæ.

17. Inq. 1. An detur vitium oppositum justitiæ per excessum? R. neg. quia solum peccat contra justitiam, qui non dat, quod debet, vel minus dat, nullus vero justitiam violat, quia plus dat,

#### & decimo Decalogi præcepto.

quantumvis excedat, non erit contra justitiam; esto possit esse contra liberalitatem, aut alias virtutes. Si autem tribuendo uni plus debito, noceat alteri, peccat quidem contra justitiam, sed non in eo, quod supra debitum datur, sed in eo, quod alteri nocetur: & sic tota injustitia reducitur ad defectum. Porro vitium deficiens a justitia dicitur *injustitia*: quæ sumi potest, vel generaliter pro collectione omnium vitiorum, vel specialiter pro injustitia particulari justitiæ opposita. D. Thom. 1. 2. q. 59. a. 1.

18. Hæc autem injustitia dividitur juxta præfatas species justitiæ. Unde quæ opponitur justitiæ legali, dicitur *injustitia legalis*, seu relaxatio legum: justitiæ distributivæ opponitur acceptio personarum, quando distributor attendit ad personam, non ad merita. Justitia commutativæ contrariantur omnia vitia, quæ nocentur proximo inferunt, sive in vita, sive in fama, sive in bonis temporalibus, cogitatione, verbo, & opere: hujusmodi sunt homicidium, furtum, rapina, injustitia iudicis in judicando, actoris, rei, testis, & advocati, insuper contumelia, convitium, & improprium, detractio, susurratio, derisio, & maledictio, denique fraus, & usura. Sive omnia hæc sint vitia specie distincta, sive aliqua solum importent diversos actus unius vitii. Peccatum speciale contra justitiam legalem non datur in qualibet fractione legis, nisi fiat animo contemnendi bonum commune, vel machinandi contra illud: sicut inobedientia specialis solum adest, quando committitur peccatum ex animo non obediendi.

19. Inq. 2. An peccatum injustitiæ sit mortale ex genere suo? R. affirm. quia opponitur caritati, quæ est vita spiritualis hominis. *Charitas enim*, ait D. Th. 2. 2. q. 66. a. 6. *consistit principaliter quidem in dilectione Dei, secundario vero in dilectione proximi, ad quam pertinet, ut proximo bonum velimus, & operemur.* Injustitia autem quælibet infert nocentem proximo in suis rebus, ergo. Potest autem esse veniale, & plerumque est tale, vel ex inadvertentia, vel ex parvitate materiæ.

20. Inq. 3. Quid sit proprie injustitia?

21. R. est *habitus*, quo aliquis volens infert inæquale contra jus alterius nolentis. Dicitur *volens*, quia, ut sit actus injustitiæ, debet scienter procedere a voluntate nocendi: in quo convenit cum omni alio vitio, cum nullum sit nisi voluntarium. Tamen ex parte objecti hoc habet speciale injustitiæ, quod etiam absque voluntate potest poni injustum, ut in possessore bonæ fidei, & in eo, qui involuntarie damnificat alterum. Similiter ex parte actus, ut detur injustitia formalis debet procedere ex voluntate nocendi: nam si procedat ex passione, aut libidine, ut in adulterio, licet vere adsit injustitia in confessione detegenda, non est injustitia formalis, seu actus elicitus ab injustitia speciali.

22. Additur *contra jus alterius nolentis*, ad denotandum, quod nemo patitur injustitiam volens: quia scienti, & volenti non fit injuria. Pro cuius intelligentia nota, quod ut aliquis volens non patitur injuriam, debet talis voluntas esse *justa, & pura*. Tunc voluntas critica, quando volens est dominus rei, ita ut juste possit velle; alias etiam volens patitur injustitiam: ut liquet in adulterio, in quo maritus injustitiam patitur, esto in eo consentiat. Idem in eo, qui membrum sanum sibi amputari consentit, & in aliis hujusmodi. Debet etiam talis voluntas esse *pura*; nam si admixta sit involuntario, potest volens simpliciter pati injustitiam: ut qui metu, aut necessitate cogetur dare pecuniam latroni, aut mutuum ab usurario petere. D. Thom. a. 3. ad 2.

### CAPUT II.

#### De dominio, & possessione.

### PUNCTUM I.

#### De dominio.

22. Inq. 1. Quid sit dominium? R. quod dominium in generali acceptum est *facultas utendi re in omnes usus lege permissos*. Dominium sic acceptum dividitur in dominium *jurisdictionis*, & dominium *proprietas*. Illud est, quod residet in Superiori ad gubernandum, judi-

candum, & puniendum subditos, ab eis- que emolumenta recipiendum. Quod deinde dividitur in ecclesiasticum, & civile. Primum est *potestas regendi subditos quoad spiritualia*. Secundum *potestas eos regendi quoad temporalia*. In præsentem solum est nobis sermo de dominio proprietatis.

23. Igitur dominium proprietatis est *facultas utendi re, ut propria, ad omnes usus lege permissos in suum commodum*. Dicitur *facultas*, per quam convenit cum possessione. *Ut propria*, id est, non alterius nomine. *Quoad omnes usus*, per quod differt ab usu nudo, & ab usu fructuario, qui non valet uti re ad omnes usus, non enim potest illam distrahere. *Legi permissos*, quia usus rei contra legem, non tam est usus, quam abusus. Hoc autem dominium subdividitur in *supernaturale*, ut dominium gratiæ, & gloriæ, *naturale*, ut dominium hereditatis paternæ, *ecclesiasticum*, quod habetur in beneficiis, aliisque officia ecclesiastica, & *civile*, quod per præscriptionem jure civili acquiritur.

24. Dominium proprietatis etiam dividitur in *altum*, & *humile*. Illud est, quod residet in Principe supremo ad disponendum de subditis ad commune bonum. Istud est, quo quilibet privatus in sua propria re gaudet. *Dominium humile* subdividitur in *plenum, seu perfectum*, in *semiplenum*, seu *imperfectum*. *Perfectum* est jus disponendi de rei substantia una cum fructibus ad sui commodum: quæ ratione dicitur dominium directum, & utile. *Imperfectum*, aliud est ex parte objecti, aliud ex parte subjecti: illud datur, quando utile, & dominium directum non reperitur in eodem; sed in uno proprietate, & in alio utilitas: ex parte subjecti datur dominium imperfectum, quando sunt plures domini rei, vel res inter plures sit dividenda.

25. Inq. 2. An possidens majoratum habeat verum dominium illius? R. affirm. quia habet potestatem illo utendi ad omnes usus lege permissos, esto non valeat illum alienare, quia hoc non permittitur a lege.

26. Inq. 3. An homo habeat jure naturæ proprietatem rerum temporalium? R. quod jure naturæ homo solum est do-



dominus suæ voluntatis, libertatis, famæ, & honoris; rerum vero temporalium proprietates ex earum dimanatione introductione, non jure naturæ, nec divino, sed jure gentium. Divisio hæc, attentata humana conditione, & fragilitate, licita, & necessaria est ad communem tranquillitatem, & pacem. Ante illam autem omnia erant communia, nec erat meum, & tuum, frigidum illud verbum innumera gignens bella, sed fiebant primo occupantis. Proprietates igitur rerum, non jure naturæ, sed jure gentium introducta est in orbem, ut homini conveniens. Vid. D. Thom. 2. 2. q. 66. a. 1.

27. Inq. 4. Quid sit translatio domini, & quot modis fiat? R. est transmissio rei ab eo, qui legitime possidet, in alterum, qui incipit esse dominus: quod fit tradendo rem, vel titulum ejus, qui est basis domini. Hujus translationis triplex est causa. 1. Voluntas Dei certo cognita. 2. Voluntas expressa hominis, qui dominium possidet. 3. Voluntas Principis, seu Legislatoris transferentis per leges dominium unius in alium.

## PUNCTUM II.

### De usufructu, usu nudo, emphyteusi, & feudo.

28. Inq. 1. Quid sit usufructus? R. est jus utendi, & fruendi aliena re, salva ejus substantia. Hoc est dominium semiplenum, & utile. Dicitur jus, quia sermo est de usu juris, non de usu facti, qui solum est juris executio. Utendi, in quo convenit cum usu nudo, & differt a dominio. Et fruendi, per quod differt ab usu nudo: quia usufructus nequit jus transferre, neque usum alienare. Salva rei substantia, in quo distinguitur a dominio, quia dominus valet usum, & rem etiam vendere, quod non valet usufructuarius, sed solum frui fructibus, vel illos alienare, non vero substantiam rei, quam conservare tenetur sine dispendio.

29. Duplex est usufructus, legalis, qui ex lege acquiritur, ut usufructus patris in bonis adventitii filiorum, & conventionalis, qui habetur ex hominum conventionem, ut ex testamento, emptione, aut stipulatione. Quinque modis fitur usufructus. 1. per mortem usufructuarii. 2. si pereat res, in qua fundatur. 3. per legitimam prescriptionem. 4. per cessionem factam proprietario. 5. per terminum a lege, vel consuetudine usufructui constitutum. Plura alia, quæ de usufructuariis disputantur, pendunt ex jure civili, & ad juristas proprius spectant.

30. Inq. 2. Quid sit usus nudus? R. est jus utendi re aliena ad proprium tantum, non ad alienum commodum, salva rei substantia. Dicitur jus, hoc est, facultas habitualis ad usum, per quod excluditur usus facti, ut habitatio domus, comestio panis, quæ non merentur nomen juris, sed solum usus. Ad proprium tantum commodum, per quod distinguitur ab usufructu, qui in proprium, & alienum commodum potest re uti, non vero usus nudus. Unde religiosi esto possint uti libris, aut vestibus sibi legitime concessis, nequeunt tamen illos utendos aliis sine licentia concedere, vel eorum usum alienare: quia solum usufructuarii sunt. Patet ex dictis, usum distingui a dominio in rebus, quæ eodem usu non consumuntur: nam plerumque dominium equi, domus, agri, & similia residet in uno, & eorum usus in alio. Idem est de rebus, quæ licet usu consumantur: non tamen uno, aut altero actu, ut vestes, & libri. Idemque dicendum etiam de his, quæ unico actu consumuntur, si sumantur ad usum secundarium, ut cibus, potus, pecunia ad meram ostentationem, quia sic per usum non consumuntur.

31. Inq. 3. An in rebus, quæ unico actu consumuntur, possit dominium a primario usu separari? R. affirm. nam qui utitur re dependenter ab alterius voluntate, ejus usum impedire valente, licet habeat usum rei, caret ejus dominio; alias haberet jus contra omnes, ejus usum impedire valentes, aut volentes, quod est falsum: ergo habet usum separatam a dominio. Sic habent fratres Minores observantes tam in particulari, quam in communi; solo usu contenti, dominium apud Papam existente, vel apud eleemosynas largientes. Reliqui religiosi eundem nudum usum possident in particulari, remanente dominio in communitate.

nitate: quia licet usus irrevocabilis non possit separari a dominio in rebus, quæ usu consumuntur, bene tamen usus revocabilis, qualis est in religiosis, & etiam apud coarivam in cibos sibi appositos, qui absque dominio in illis, habet usum facti revocabilem ad nutum domini. Hinc conviva, & religiosi possunt uti cibo; nequeunt tamen alteri dare sine licentia domini, aut Prælati.

32. Inq. 4. Quid sit emphyteusis? R. est contractus, quo res immobilis alicui fruenda non minus decennio traditur, sub obligatione pensionis realis domino proprietatis reddende in recognitionem domini directi. Convenit cum usufructu in eo, quod ex re aliena fructum, & commodum concedit; differt vero, quod emphyteusis in rebus immobilibus, usufructus etiam in mobilibus datur. Usufructus morte fructuarii finitur, emphyteusis morte emphyteutæ non extinguitur, denique usufructus nequit simpliciter transferri in alium; bene vero emphyteusis, consulto domino directo. §. finitur, Instit. de usufructu.

33. Inq. 5. Quid sit feudum? R. est concessio rei immobilis cum translatione utilis domini, retento directo dominio apud proprietarium, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis exhibendi. Unde emphyteusis pensionem realem; feudum personale domino exhibet. Ratione emphyteusis, & feudi omnes Duces, & Marchiones dicuntur vasalli feudatarii, & emphyteutæ supremo Principi subiecti. Alia vide apud jurisconsultos.

## CAPUT III.

### De possessione.

34. Inq. 1. Quid sit possessio? R. dari possessionem facti, & juris. Possessio facti est detentio rei corporis, & animi, jurisque adminiculo. Dicitur detentio rei, sive corporalis, sive spiritualis; licet Jurista contra Theologos solius rei corporalis propriam possessionem admittant; ideo in definitione rei corporalis ponunt. Additur corporis, & animi, jurisque adminiculo, ad denotandum, quod corpore, & simul animo debet res apprehendi, ut possessio adsit. Sufficit autem,

Tom. I.

quod jus positive non resistat, esto non faveat, ut sic non excludantur injustæ possessiones furis v. g. & possessoris malæ fidei, quæ quidem a possessione juris excluduntur. Nam possessio juris est jus insistendi alicui tanquam suæ, non prohibita possideri. Unde possessor malæ fidei, & fur non habent hanc juris possessionem, sed solam facti. Non enim habent jus insistendi rei tanquam suæ: hoc est pacifice possidendi, & viribus eam defendendi. Possessio secundum aliquos a pedum sessione dicitur. Alii a pos antiquo nomine derivant, & est idem, ac potens, & sedeo, quasi cum potestate sedeo.

35. Inq. 2. Quotuplex sit possessio? R. est duplex, civilis, & naturalis. Civilis est, quando res solo animo possidetur, ut cum dominus a suo fundo est absens. Naturalis est, qua res animo, & corpore possidetur, ut cum dominus est præsens rei suæ.

36. Inq. 3. Quot modis acquiratur possessio? R. tribus modis posse acquiri, apprehensione vera, apprehensione ficta, & apprehensione civilissima: 1. datur quando res vere corpore apprehenditur, ut intrando domum, vel fundum calcando, 2. cum rem ab antiquo domino accipimus per traditionem clavium, scripturæ, aut instrumenti jus ad illam continentis. 3. fit sola legis dispositione, ut in majoratibus. Absque possessione aliqua regulariter dominium non comparatur. Aliquando accidere solet ex indulgentia juris.

37. Inq. 4. Quot sint privilegia justæ possessionis? R. Privilegia præcipua esse quatuor. 1. quod possessio bonæ fidei parit prescriptionem, & media prescriptione dominium. 2. quod in dubio circa rei dominium, melior est conditio possidentis, & pro eo in pari casu judicandum est. 3. quod in judicio non incumbit possessori probare rei dominium. 4. quod possessor potest armis, cum moderamine suam possessionem tueri.

38. Inq. 5. Quot modis deperdat possessio? R. Quot possessio rerum mobilium deperditur: 1. per solam voluntatem expressam possidentis, ut per donationem. In pupillis, & minoribus requiritur etiam voluntas tutoris, aut curato-



ris. 2. per furtum, aut rapinam. 3. per amissionem ipsius rei. Possessio autem servi per ejus fugam non amittitur. Rerum immobilium possessio deperditur 1. per longam absentiam, juxta prudentum arbitrium. 2. per negligentiam possessoris videntis rem suam ab alio occupari, & non resistentis. 3. per occupationem alterius irrecuperabilem. 4. per longam oblivionem.

## PUNCTUM IV.

Qui, & quarum rerum possint habere dominium?

39. Inq. 1. Quis sit capax domini? R. quod sola creatura rationalis est capax domini: quia habet liberum arbitrium, quod est fundamentum, & basis totius dominationis: unde cum irrationabilia careant libero arbitrio, prorsus incapacia sunt dominio, qua ratione nulla eis fit injuria, si feriantur, aut occidantur; quia injuria solum fit contra jus, cujus animalia sunt incapacia.

40. Igitur omnes homines, etiam pravi, & peccatores sunt capaces domini, quia homo per peccatum non amittit jus, quo gaudet ad propriam famam, & reliqua, quae juste possidet, ergo habet, esto sit peccator, eorum dominium. Hæc doctrina, tamquam de fide, definita est in Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. contra Wicleph, & Joannem Hus, contententes Principes infideles, aut peccatores non esse obediendos, nec honorandos, quod est hæreticum, & contra doctrinam catholicam, & apostolicam, ad Rom. 13. & 1. Petri 3. 1. Imo etiam pueri ante usum rationis, & perpetuo amenes sunt domini capaces, quia ad hoc sufficit potentia, & voluntas ex se capax utendi re, ut sua, quam utique isti habent; licet per accedens ligatam, & impeditam.

41. Inq. 2. Quarum rerum possit homo habere dominium? R. omnium sublarium: omnia enim à Deo facta sunt, ut homini serviant, cui super omnia sublarium dedit principatum, & dominium. Solum alterius hominis non habet homo jure naturæ dominium, quia omnes sunt a natura æquales, ab eodem

## Et decimo Decalogi præcepto.

parente progeniti, & ad eundem finem ordinati. Igitur nullus homo a natura supra alterum dominium habet. Servitus, non a natura, sed jure gentium introducta, tribuit homini dominium rationabile in alium hominem quatuor titulis. 1. jure belli justi. 2. nativitate. 3. ex justa sententia. 4. propria venditione.

42. Homo non est dominus suæ vitæ, aut membrorum, sed custos, quia solus Deus est dominus vitæ, & mortis. Est tamen homo dominus suæ famæ, & honoris, nisi alteri ex eorum dispendio damnum inferatur; tunc enim non agitur de sola fama propria, sed de fama aliorum. Similiter est dominus bonorum spiritalium interiorum, quia auxilio Dei per liberum arbitrium ea acquisivit, & etiam exteriorum, ut sunt vineæ, oliveta, quædam officia, & dignitates, quia ea possidens habet jus eis utendi in usus lege permisso. Papa, Episcopus, & alii ecclesiastici licet gaudeant dominio possessivo suorum officiorum, & dignitatum, verius dicuntur, & sunt dispensatores, & administratores officiorum, & bonorum Ecclesiæ, excepta congrua sustentatione.

## PUNCTUM V.

## De dominio filiorum.

43. Inq. 1. Quid sit patria potestas? R. est illud jus, quod habet pater in filios, & eorum bona. Non est introducta patria potestas jure naturali, aut divino, sed tantum jure civili, ideoque potest per consuetudinem derogari, ut dicitur de Gallia, & Aragonia. Tripliciter habet effectum. 1. quod ratione illius habet pater dominium, ac proprietatem, & usumfructum in bonis profectitis filii, & usumfructum in adventitiis. 2. quod pater in castro obsessus potest impune (illucite tamen) filium edere, ne famæ pereat. 3. quod pater ob famis necessitatem, cui aliter consulere nequit, potest filium, nisi sit in sacris constitutus, vendere, aut oppignorare. Omnes filii legitimi, & adoptati adoptione perfecta, quæ fit Principis autoritate, sunt sub patria potestate; non vero filii illegitimi. Mater non gaudet privilegio patriæ potestatis.

44. Liberantur filii a patria potestate

1.

## Cap. II. De dominio, &amp; possessione.

1. per emancipationem coram iudice factam ex patris, filiique consensu. 2. per mortem naturalem, aut civilem patris, ut perpetua relegatio, vel perpetuus carcer; nisi indulgentia Principis restituatur, redit patria potestas sicut antea. 3. ratione magnæ dignitatis consecuta a filio, ut si fiat Episcopus, Cardinalis, vel Consiliarius Regis. 4. per professionem religiosam patris, aut filii, quia est quædam mors civilis. 5. ex novo jure Hispano per matrimonium filii, velationibus secutis.

45. Inq. 2. Quot sint bona filiorum? R. esse *castrensia*, quasi *castrensia*, *adventitia*, & *profectitia*. *Castrensia*, a castris dicta, sunt illa, quæ ratione belli justii adventiunt filio, ut stipendia, hostilis præda, & quæ occasione belli a patre, sive a Rege, vel ab aliis filio donantur. Item acquisita in palatio regio, vel obsequio Principis, vel alterius similis personæ. Denique quocumque modo acquisita peculio castrensi.

46. *Quasi castrensia* sunt illa, quæ ratione alicujus officii publici filius acquirit v. g. advocati, tabellionis, medici, procuratoris, vel professoris artium liberalium, & quæcumque ad prædicta munera obeunda donantur, ut libri, equi, aut alia. Similiter quæ a Rege, vel Principe filio conceduntur, etiam patris intuitu. Pariter quæ filio dantur, ut ipse, non pater, habeat usumfructum. Tandem omnia bona ratione beneficii ecclesiastici acquisita, & quæ filius clericali privilegio gaudens quomodolibet acquirit, etiam si alias essent adventitia, & patrimonium ab aliis, quam a parentibus, constitutum in titulum ad suscipiendos ordines sacros.

47. *Adventitia* dicuntur, quæcumque bona adventiunt filio, non a patre, sed vel jure hæreditatis, aut pro labore, industria, legato, negotiatione, vel casu inventa, sive ex matris, aut avorum maternorum successione, sive ab avorum paternorum melioratione, sive etiam a patre in meritorum remunerationem; si vero nulla sint merita, ex jure communi sunt profectitia, jure regni adventitia, dummodo tertium, & quintum bonorum patris non excedant; alias nulla erit donatio. *Profectitia* sunt illa bona,

quæ a patre in filium proficiuntur, vel immediate, & primario intuitu patris ei conceduntur: quibus suppositis.

48. Inq. 3. Quorum bonorum habeat filius dominium, usumfructum, & administrationem? R. 1. quod bonorum castrensium, aut quasi castrensium habeat filius pater plenum dominium utile, & directum, potestque de eis disponere, ut eorum absolutus dominus. Si pubertatem nondum fuerit nactus, esto proprietatem, & usumfructum eorum obtineat, non tamen administrationem; nam hæc est apud patrem, vel tutorem, sine quorum consensu ea alienare non valet.

49. R. 2. quod in bonis adventitiis filius habet dominium directum, non usumfructum, nec administrationem, qui sunt apud patrem. Verum in triplici casu filius gaudet etiam usufructu adventitorum. 1. si pater cedat usumfructum filio. 2. si aliquid liberum filio donetur ea conditione, ut ipse, non pater, habeat usumfructum. 3. si filio quidquam doneatur reuente patre. Alii casus apud auctores videri possunt.

50. R. 3. Quod in bonis profectitis filius nec dominium, nec usumfructum habeat: unde solum proficit filio hoc peculium, ne publicentur bona profectitia apud patrem existentia, casu quo bona patris ob aliquod delictum publicentur. Excipe tamen patrimonium constitutum a patre filio ad ordines sacros, aut filie pro matrimonio contrahendo, in quibus habet filius, aut filia dominium, & usumfructum; & esto ipsum patrimonium adducendum sit ad partitionem, non ejus fructus.

## PUNCTUM VI.

## De dominio religiosorum.

51. Inq. 1. An religiosi possint habere dominium alicujus rei? R. quod religiosi in particulari solum habent dominium bonorum spiritualium, quæ auxilio Dei per liberum arbitrium, & pia exercitia assecuntur. Sermo nobis nunc non est de quadam religione privilegiata, quæ jam evanuit. Verum in communi possunt omnes religiones (exceptis Minoribus de observantia, & Capuccinis) bonorum tem-



temporalium habere dominium; ut constat ex *extravag. Nicolai III. Exiit*, de verb. signif. in 6. Minores vero de observantia, & Capucini non solum in particulari, sed etiam in communi incapaces sunt domini. Ceteræ religiones capaces sunt domini in communi bonorum, nedum mobilium, sed etiam immobilium. Apostoli habuerunt in communi loculos sine præjudicio suæ strictissimæ paupertatis.

52. Inq. 2. An religiones sint capaces successione hæreditariæ? R. quod religio capax domini bonorum temporalium, etiam est capax succedendi in bonis religiosi defuncti, sive ex testamento, sive ab intestato. Unde si religio non excludatur tacite, vel expresse a possessione majoratus, quem religiosus possidebat, succedit in eo monasterium. Omne legatum religioso relictum pertinet immediate ad monasterium; quia omnia iura in illud translata fuerunt per solemnem professionem.

53. Inq. 3. An casu, quo hæreditas vel legatum relinquatur religioso ea conditione, ut ipse illud possideat independentem a voluntate Superioris, validum sit? R. esse invalidum; quia religiosus incapax est domini. Si autem relinquatur commoditatem religioso, & dominium monasterio (quod semper est præsumendum, nisi certo constat oppositum) sub conditione, ne Superior possit illam impedire: tunc rejecta conditione, ut turpi, subsistit legatum. Denique si sensus sit, ut legatum voluntati Superioris relinquatur subiectum, addita pœna, ut si Superior commoditatem, & usum illius neget subdito, cesset legatum, & transeat ad extraneum, valet legatum; ita ut, deficiente conditione, monasterium dominium amittat: quia, deficiente conditione, deficit contractus.

54. Inq. 4. Quæ religiones sint capaces, ut eorum monasteria instituatur hæredes rerum mobilium, vel immobilium? R. hoc pendere ex regula, & constitutionibus cuiusque religionis, juxta communem usum in ea observatum: quia praxis communis est intelligentia melior, & interpretatio securior legum: maxime in sacris religionibus, ubi præcipue splendet, ac vigor zelus domus Dei,

& observantiæ regularis.

55. Monasteria nostræ Discalceatæ familiæ nequeunt succedere ab intestato in hæreditate paterna, nec institui hæredes bonorum immobilium, quæ intra breve tempus vendi non possint: quia immobilia possidere non valemus, nisi quæ necessaria sunt ad consuetam habitationem domus, hortus, aut moderati viridarii, seu vineæ. Cæterum possunt conventus nostri annuos redditus habere, aut elemosynam annualem ratione foundationis, patronatus, anniversarii, orationis, vel alterius devoti exercitii cum certis limitibus appositis in constitutionibus 1. p. cap. 7. n. 13. & 14.

56. Inq. 5. An religiosi possint testari, vel disponere de aliqua re causa mortis? R. neg. quia nullius rei sunt domini. Valent tamen ex licentia Prælati de bonis, quæ ad usum habent, disponere per donationem causa mortis, sicut ex eadem licentia potuerunt in vita donare. Religiosi ordinum Militarium in saeculo degentes, etiam Equites D. Joannis, possunt testamentum condere, non solum de bonis patrimonialibus, sed & de fructibus commendarum, juxta statuta propriæ religionis: tum ex consuetudine, tum ex concessione SS. Pontificum; quod, ex opposita ratione, prohibetur religiosis clericis Militaribus degentibus intra claustra.

57. Quo modo religiosi prohibentur sit habere peculium, & solum ex necessitate illud eis permittitur, dicitur in tract. de statu religioso. Solum hic innuere volumus dominium in communi minime opponi vitæ communi, quam cum tali dominio primitiva Ecclesia cum Apostolis, & aliis viris apostolicis admissis coluit, & servavit, ut constat ex cap. 2. Ab.

#### Р у н к т у м VII.

##### De dominio usorum, & servorum.

58. Inq. 1. Quorum bonorum dominium uxor habeat? R. habere dominium, & administrationem in bonis paraphernalibus. Paraphernalia bona dicuntur, quæ uxori hæreditate, legato, aut donatione adveniunt: vel quæ sua singulari

lari industria ipsa acquirit absque dispendio familiæ. Pariter habet dominium, & administrationem in bonis, quæ ipsa præter dotem ad suos usus reservavit. Item in eis, quæ a viro pro sumptibus ad suum splendorem, & honestam recreationem conceduntur, ut inter nobiles frequenter agitur. In bonis dotalibus habet uxor dominium; sed administratio est penes virum; nisi longe abeat, aut incidat in amentiam. Idem est de bonis communibus, in quibus conjuges habent partiale dominium, & vir administrationem.

59. Inq. 2. An mancipia, seu servi habeant dominium alicujus rei? R. habere imprimis dominium bonorum spiritualium, gratiæ, & virtutis. Deinde gaudent dominio sui corporis ad contrahendum matrimonium. Præterea retinent verum jus vitæ, & membrorum, ne eis absque causa priventur; sunt enim horum bonorum custodes, sicut ceteri homines. Sermo est de servis propriè talibus, vel mancipiis; quia de famulis non dubitatur. Exinde mancipium habet dominium in sua fama, & honore. Denique juxta plures habet etiam in bonis temporalibus in septem casibus positus tract. 15. num. 60.

#### Р у н к т у м VIII.

##### De dominio circa animalia.

60. Inq. 1. Quomodo acquiratur, & amittatur dominium animalium? Ante responsum nota, quod animalia alia sunt ex natura sua mansueta, & domestica, ut equi, oves, boves, & gallinæ; alia silvestria, & ferina, ut lepores, & perdices, & pisces. Alia partim ferina, partim domestica, ut anseres, columbæ, cuniculi, apes. Ex his aliqua mansuescunt, ut accipitres, cervi, apes, & etiam pisces in stagnis oclusi. Alia e contra quæ ex se sunt mansueta, sibi relicta redduntur fera, ut sues, & capræ, & in Occidentali India etiam equi, & tauri. Quibus prænotatis.

61. R. 1. Quod animalia mansueta, esto egrediantur et domini custodia, longiusque abeant, nemini licet ea sibi usurpare; alias restitutioni tenetur, quia domini semper remaneant. Ideo si contin-

Tem. I.

gat præfata animalia, vel fulmine percussa, vel a feris discerpi, vel alio modo vulnerari, quidquid reliquum manet, domino competit.

62. R. 2. Quod animalia industria humana mansueta, quando in custodiis captantur, ut apes in alveariis, & pisces in stagnis, sub dominio possessoris existunt; si vero e custodia egrediantur, nullaque sit spes regressus judicio prudentum, sunt primo occupantis, quia censentur nativam libertatem recuperasse. Aves tamen venaticæ, ut falcones, & milvi, & etiam passeress magni pretii, esto de custodia evolent, aut consuetudinem redeundi amittant, debent domino restitui, justo pretio capienti reddito. Apes ex tuo alveario egressæ tamdiu sub tuo existunt dominio, quamdiu eas facile capere potes; si vero dispareant, nec illas insequaris, sunt primi occupantis.

63. Columbaria esse licita communis praxis testatur. Nam si grana aliquando bona capiunt, multoties nociva auferunt, impediuntque, ne herbæ, & semina inutilia adeo augeantur, ut segetes inficiant, aut suffocent. In Hispania observanda est moderna dispositio. Carl. III. in administratione, & occasione columbarum. Illicitum est alienas columbas speciali pabulo, vel alia fraude attrahere; si autem ipsæ tuis columbis se immisceant, ac sponte in tua columbaria ingrediantur sine fraude, tæe reputantur.

64. Animalia silvestria sunt primo occupantis, quia sua natura communia sunt. Unde si ea in alieno fundo capias, tua sunt; quia dominus fundi non acquirit eorum dominium per ingressum in suum fundum. Fera ab uno vulnerata, aut illaqueata, seu insecta, & ab alio capta, hujus est, si adhuc fugere poterat; si minus, vulnerantis est, illaqueantis, aut insectantis. Si tandem ratione vulneris, aut laquei difficilius fugiens, ab alio capiatur, inter utrumque ejus utilitas dividenda est.

#### Р у н к т у м IX.

##### De piscatione, venatione, & aucupio.

65. Inq. 1. An venatio omnibus sit li-

Kkkk

ci-



cita? R. quod jure naturæ nulli est prohibitum piscari, aut venari. Tamen jure positivo aliquibus locis, temporibus, & personis juste prohibetur ob commune bonum, & personarum splendorem. Venari feras, aut aves tempore procreandi vetitum est. Similiter nivium tempore venari lepores, columbas, perdicces, ne extinguantur, aut nimis minuatur ex facilitate capiendi. Eadem ratione prohibentur retia nimis stricta, ne parvi pisciculi capiuntur. Sicut etiam emissio cibi in flumen, quo pisces moriantur, & inficiantur aquæ: quia hæc omnia cedunt in damnum commune. Quilibet autem potest prohibere piscationem, aut venationem in loco sui domini: quia gaudet jure, ne alius in sua prædia, aut flumina ingrediatur.

66. Inq. 2. An Princeps valeat prohibere piscationem, aut venationem in locis communibus alicujus oppidi, sibi ea reservando? R. posse tribus conditionibus: 1. quod Princeps illius loci habitatores compenset, vel tributorum levamine, vel privilegiorum concessione. 2. ne Princeps damna eis inferat, aut nimia multiplicatio ferarum potentium vicina loca devastare, aut segetum conculcatione, aut alio quocumque modo. 3. ne Princeps poenam nimis severam, ut capitis, flagellationis, mutilationis contra piscantes, aut venantes imponat: quia hæc actiones hæud dignæ sunt tantæ rigoris. Poena justa non debet excedere culpam.

67. Inq. 3. Quale peccatum committat, qui contra prohibitionem Principis, aut communitatis in locis reservatis piscatur, aut venatur? R. ex communi sententia non peccare graviter: tum quia edictum sic communiter interpretatur: tum quia materia levis reputatur. Si autem magna animalium strages fieret, aut cibi in flumen missi aquas inficerent, proculdubio daretur culpa gravis, cum onere restitutionis. Hoc ipsum teneas de piscantibus, aut venantibus in privatorum locis circumseptis; nisi loca sint adeo ampla, ut captura difficilis foret, quo in casu tenentur restituere, non animalia, sed damna locis illata.

68. Inq. 4. Quibus personis piscatio, aut venatio sit prohibita? R. quod pis-

catio diebus pro festis nulli est prohibita: nam etiam Apostoli post conversionem munus piscatorum obierunt. Venatio autem clamorosa, nempe cum canibus, avibus, & armis prohibita est clericis, & monachis, ut colligitur ex Tridentino sess. 24. cap. 12. & ex cap. de clerico venatore. & alibi. Episcopi venantes suspenduntur a communione tribus mensibus, Presbyteri duobus, Diaconi ab omni officio: quia talis venatio dedecet statum clericalem. Venationes autem quietæ sine canibus, avibus, & sclopiis, sed solis retibus, aut laqueis licitæ clericis sunt, & monachis intra proprios saltus, ut constat ex Trid. ubi supra: & ex cap. Ne in agro, de stat monach. Meminerint clerici, quod Nicolaus I. ad consulti Bulgavorum de venatoribus respondit: Præsertim, cum neminem, nisi reproborum, venationes exercuisse, sacra designet historia. Videatur Bened. XIV. de Syn. Diac. lib. 11. cap. 10. a num. 6.

#### PUNCTUM X.

De montibus, sylvis, & pascuis.

69. Inq. 1. Ad quem pertineat dominium montium, sylvarum, & pascuorum? R. jure gentium pertinere ad populum viciniorem; nisi ex venditione, aut aliis titulis particularibus personis, aut aliis populis conveniant. Verum habens jurisdictionem civilem, aut criminalem in populum non gaudet dominio utili montium, & pascuorum: hoc enim populus privative possidet. Unde si damna gravia inferat, non secus ac alii oppidani, peccat, & compensare tenetur. Poterit vero sicut ceteri cives, & potiori titulo, ligna cædere, & animalia in pascua mittere.

70. Inq. 2. An Princeps, aut republica prohibere valeat sub certis poenis pascua, vel lignationem in locis communibus? R. affirm. quia ne tali loco, vel tali tempore animalia in pascua ingrediuntur, aut ligna abscedantur, convenit sæpe bono communi, ergo potest justè prohiberi. Tamen non peccat graviter cives, qui contra hæc prohibitionem armenta pascent, aut ligna cædunt, juxta communem Theologorum pla-

citum; nisi ligna magni essent valoris, aut bono publico grave inferant damnum. Idem dicunt de civibus oppidorum confinium, dum ligna cædua alterius loci sciunt, aut in pascua animalia introducunt; nisi magnum esset detrimentum: quia frequenter ab utraque parte fieri scitur, & ad invicem condonare communitates censentur, contentæ solutione poenarum eorum, qui in factu capiuntur.

71. Graviter autem peccat, & ad restitutionem tenentur, qui pascent, aut ligna in sylvis alicujus particularis, vel in non vicinis cædunt; quia tunc nulla est mutua compensatio, aut tacitus consensus; esto quoad restitutionem inspicienda sint circumstantiæ domini, damni, & loci, & consuetudines, legesque municipales locorum. Pauperibus non est prohibendum minuta ligna colligere ad suæ necessitatis subventionem.

#### PUNCTUM XI.

De rebus inventis.

72. Inq. 1. Quotplex sit genus rerum inventarum? R. esse triplex. Nam alia sunt, quæ nemo antea possedit, ut gemmæ, aut margaritæ in mari existentes: aut licet fuerint alicujus domini, amissa fuere, & pro derelictis reputantur, sunt que primi occupantis. Secundi generis est thesaurus, qui licet jure naturæ competat inventori, jure tamen positivo dimidia pars debetur domino fundi. Tertii generis sunt bona deperdita, quæ si de proximo dominum habeant, furtum committit, qui sciens ea sibi arrogat. Si autem id ignoret, potest ea accipere, ut reddat domino comparenti. Ita D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 2.

73. Inq. 2. Quando gemmæ, & lapilli sint primo occupantis? R. quando antea nullius fuere domini: quod jure naturæ intelligitur. Nam jure positivo valet Princeps in suis dominiis justis legibus prohibere, ne eas quis ex industria querat. Prohibitio tamen non extenditur ad margaritas, forte inventas, quarum dominium acquisit, qui primo illas capiat, licet alter prius videatur, quia sunt primo occupantis. Si vero qui lapillum cepit, ideo vidit, quia alter ostendit, in-

ter utrumque dividendus est valor: quia unus est inventor, alter occupator.

74. Inq. 3. Quando bona amissa pro derelictis reputantur? R. quando ex certis signis colligitur nullum habere dominum, ut si cum possit, non curat de his recuperandis, vel sponte ea projiciat: & tunc vocantur deserta. Unde naufragantium bona in littore reperta minime pro derelictis reputantur: quia non sponte projiciuntur. Si vero talia bona quis acciperet animo ea domino reddendi, prudenter se gereret. Domino autem non comparente, potest ex prudenti consilio aliquam sibi partem applicare, & reliquum pauperibus distribuere. Nec bona, quæ incendio, aliove periculo projiciuntur, habenda sunt pro derelictis, nec oves a feris captæ, si eripiantur: quia in his, & similibus quod reliquum fuerit, domino tradi debet. Bona Christianorum ab infidelibus capta, & postea a fidelibus empta, esto sint calices, aut alia sacra, possunt fideles sibi licite retinere: ut patet ex epistola Bened. XIV. tom. 3. bullarii num. 57.

75. Bona autem, quæ vi fluminis, aut alluvionis asportantur, si paulatim, & insensibiliter adjudicantur, sunt domini fundi; si vero sensibiliter subita alluvione magna portio ex meo fundo adjectur tuo, adhuc manet sub meo dominio: quia sensibiliter est facta. Si res asportatæ vi fluminis sint magni valoris, idem est tenendum. Sed hæc, & alia, utpote jure civili disposita, plus ad Jurisconsultos spectant.

76. Inq. 4. Cui competant bona vacantia? R. bona vacantia sunt, quæ defunctus ab intestato, & absque hæredibus relinquit, quæ esto ex jure communi, & Castella applicentur fisco, tamen ex regia liberalitate, ajunt plures, pro redimendis captivis esse applicata. Excipiuntur autem bona peregrinorum, qui decedunt in Xanodochiis privilegium habentibus, ut hæcine bona sibi applicentur. Alias per manus Episcopi hæredibus sunt tradenda, vel in opera pia distribuenda.

77. Inq. 5. Cujus sint bona ab uno deperdita, & ab alio inventa? R. inventientem rem alienam, ut vestem, annulum, crumenam &c. teneri domino red-



dere: nec potest exigere pretium pro in-  
ventione. Esto valeat accipere, quod do-  
minus gratis ei rependerit. At si nihil  
ei tribuat, demptis expensis, si quæ fac-  
tæ sint in rei conservatione, eam trade-  
re debet: quia inventio rei nullum jus  
præbet inventori. Si dominus non com-  
pareat, tenetur congruam diligentiam ad-  
hibere; alias reus erit furti. Si plures  
domini appareant, cum dubio veri do-  
mini, debet rem tradere, ut inter se di-  
vidant, vel sortem mittant: quia omnes  
habent jus in rem illam, esto singuli sub  
dubio.

78. Inq. 6. An si post adhibitam di-  
ligentiam dominus non compareat, teneatur  
inventor rem pauperibus distribuere,  
vel in alia pia opera expendere? R. af-  
firm. quia res inventa dominum habet vi-  
vum, vel defunctum, ergo debet appli-  
cari juxta ejus voluntatem rationabilem:  
quæ utique est, ut res sua in bonum e-  
jus spirituale expendatur. Accedit, quod  
hæc est praxis communis timoratorum, ergo  
ita est faciendum.

79. Quatuor conditionibus doctrina hæc  
est intelligenda. 1. Si res conservari possit,  
& adsit spes, quod dominus com-  
pareat: tunc inventor debet eam conser-  
vare, vel ejus pretium, si conservari ne-  
queat, ut domino reddatur: quia hæc  
presumitur ejus voluntas. 2. Nisi fiat com-  
positio per Bullam, qua legitime peracta,  
potest rem sibi retinere. 3. Si inven-  
tor sit vere pauper, poterit in toto, vel  
in parte ex consilio Parochi, vel viri  
docti sibi applicare. 4. Si post legitimam  
applicationem pauperibus factam domi-  
nus appareat, & res sit magni valoris,  
in speciebus existat, aut facti sunt di-  
tiores, æquitati consonat, ut prudenti  
quodam medio se componant. Si inven-  
tor ipse rem bona fide consumpsit, &  
ditior inde factus est, tenetur restituere  
id, in quo factus est ditior. Si domi-  
nus rei perditæ quidquam promisit eam  
inveniendi, debet ex fidelitate solvere pro-  
missum; licet autem non solvat, res in-  
venta ei tradenda est.

80. Bona, quæ nostro idiomate dicuntur  
*bienes mostrenco*, uti sunt animalia  
deperdita, debent gubernatori loci ma-  
nifestari, ut singulis mensibus per an-  
num, & duos menses publicentur, &

comparenti domino reddatur; si mi-  
nus fisco, aut redemptioni captivorum ap-  
plicantur. Cum autem captivorum redem-  
ptio sit opus adeo pium, hujusmodi ap-  
plicatio observari debet. Nam si res in-  
animatæ in pauperes expendi debent,  
cui non idem tenendum est de animatis  
in solatium captivorum: cum cedat in  
utroque casu in utilitatem spiritualem do-  
mini?

81. Inq. 7. Quid sit thesaurus, & an  
competat inventori? R. Theaurus est ve-  
tus depositio pecuniæ, aut alterius rei  
pretiosæ, cujus depositionis non extat me-  
moria, ita ut dominum non habeat. Ad  
veram rationem thesauri non sufficit quæ-  
libet occultatio rei pretiosæ, sed requi-  
ritur, quod sit vetus depositio, cujus  
non datur memoria, ideoque non dari  
dominium. Unde jure naturæ est invento-  
ris, quia reputatur inter bona derelicta,  
quæ sunt primo occupantis. Jure autem  
positivo est quidem inventoris, si casu,  
vel industria invenitur in proprio fun-  
do, aut domo; si vero in aliena posses-  
sione, dimidia pars est domini proprie-  
tatis fundi, & altera dimidia inventoris.  
Jure denique Castellæ pertinet ad Re-  
gem, reddita quarta, vel quinta parte  
inventori. Quando casus occurrat, con-  
sulantur viri docti, & timorati. Idem te-  
neatur de mineralibus, venisque metalli-  
cis, quæ licet jure naturæ sint inventoris,  
juxta leges municipales, cui competant,  
dandæ sunt. Emens agrum, in quo est  
thesaurus, fit dominus agri, & thesau-  
ri, ut patet ex parabola Evangelii *Mat-  
th. c. 13.*

*De aliis modis dominium acquirendi.*

82. Inq. 1. An præter enuntiatos deni-  
tur alii modi acquirendi dominium? R.  
affirm. nempe per specificationem, ac-  
cessionem, communicationem, confusio-  
nem, indignationem, pignorem, implan-  
tationem, nativitatem, & denique per  
prescriptionem, de qua puncto sequenti.  
Specificationem dicitur, cum res in aliam  
transit speciem: ut ex visis fit vinum, ex  
lino tela. Accessio datur, quando rei  
aliquid additur: ut domui pictura, aut

vir.

## PUNCTUM XIII.

## De præscriptione.

viridarium. *Commixtio* contingit, cum  
miscibilia in uno commiscentur: ut vi-  
num, & aqua, aut unum ex duobus vi-  
nis. *Confusio* evenit, quando res ita con-  
funduntur, ut discerni amplius nequeant:  
ut frumenta, & pecuniæ.

83. *Indignatio* vocatur ædificium con-  
structum in alieno fundo. Si bona fide id  
contingat, debet dominus compensare ex-  
pensas; sin mala, amittit eas ædificans.  
*Pignus* adest, quando pignus in aliena ta-  
bula pingit, cujus dominium acquirit,  
cum onere solvendi domino tabulæ pre-  
tium. Econtra, literæ in aliena carta,  
aut membrana exaratæ, non scribentis,  
sed domini membranæ sunt. *Implantatio*  
datur, quando in alieno fundo plantan-  
tur arbores, quæ ad dominum fundi  
pertinent, si radices jecerint. Debet ta-  
men expensas implantationis solvere, si  
bona fide effecta est. *Nativitas* indicat  
partum animalis sexus fœminæ, spectat  
enim ad dominum fœminæ parentis, ni-  
si aliter pactum sit: ita ut homo natus  
ex ancilla, seu serva, licet ex patre li-  
bero, est servus, quia partus sequitur  
ventrem.

84. Inq. 2. Quid sit advertendum circa  
præfatos modos acquirendi dominium?  
R. ita acquiri per eos dominium rei, ut  
maneat adstrictus solvendi pretium rei  
alienæ priori domino. Ut si visus alienis  
conficias vinum, aut ex lino telam, te-  
neris pretium uvarum, & lini solvere  
domino. Idem est de confusione, & com-  
mixture. Verum si vendidisti bona fi-  
de vestem, aut equum latroni, & ac-  
cepisti ab eo pecunias furtivas antea cum  
propriis latronis permixtas, non teneris  
illas restituere priori domino. Unde mo-  
nitum habes, quod si tibi aliqua den-  
tur pecuniæ, vel frumenta, ut ea cus-  
todias, ne illa cum tuis pecuniis, aut  
frumentis commisceas; si enim post com-  
mixturem auferantur, tibi percunt. Si  
vero ea separata custodias, & pereant  
absque tua culpa, traditori pereunt: quia  
in primo casu acquisisti dominium; non  
vero in secundo.

85. Inq. 1. Quid sit præscriptio? R.  
est *acquisitio domini per possessionem bona  
fidei, continuatam tempore a lege con-  
stitutum.* Quamvis præscriptio a jure civi-  
li dimanet, juri etiam naturali, & divi-  
no consentanea est. Recta enim ratio parti-  
tionem bonorum ad publicam pacem  
tendam introduxit: qua supposita, præ-  
scriptione confirmatur bonorum possessio,  
animorumque tranquillitas, ne intermina-  
tis litibus communis pax scindatur. Ad  
finem igitur publicæ pacis conservandæ  
præscriptio suis conditionibus a jure civi-  
li constituta est. *Instit. de usucapionibus  
in principio. Leg. unic. cod. de usucap. leg.  
3. ff. de usucap.*

86. Inq. 2. Quot requirantur conditio-  
nes ad præscriptionem legitimam? R.  
quinque requiri conditiones, nempe quod  
res sit apta, bona fides, possessio, ti-  
tulus, & tempus a lege assignatum: qua  
his versiculis comprehenduntur.

*Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:  
Sit res apta, bona fides, sit titulus justus,  
Possideas juste, completo tempore legis.*

Prima ergo conditio ad præscriptionem  
est, quod sit *res apta*. Unde excludun-  
tur res ob aliquam legem præscriptio-  
nis incapaces, ut ea, quæ debentur  
Principi, ut tali, libertas hominis, via  
publica, obedientia debita Episcopis, &  
eadem ratione aliis Superioribus, res sa-  
cræ, templa, jus decimarum, & alia ju-  
ra spiritualia respectu laicorum. Nec va-  
let dari præscriptio contra onera, & fun-  
dationes beneficiorum, nec contra nume-  
rum missarum: quia animæ purgatorii,  
quoad suffragia eis debita, sunt pupillæ,  
causam enim suam agere non valent. Idem  
dicendum est de rebus pupillarum, de  
dotalibus, de debitis juratis, & de rebus  
gratuitæ voluntatis, quæ omnia inepta  
sunt ad præscriptionem.

87. Secunda conditio est *bona fides*,  
qua quis prudenter putat rem esse suam.  
Qui ab initio dubitat prudenter an res  
sua sit, nequit inchoare præscriptionem:  
quia dubitans prudenter in principio, non  
est possessor bona fidei. Non tamen on-

LIII

fi.



sicut peccatum veniale, aut dubium leve; alias vix aliquis daretur bonæ fidei possessor. Ad impediendam ergo præscriptionem exigitur peccatum grave in dubitatione: ut cum dubitans prudenter rem esse Petri, ab eo illam accipit. Dubium autem grave superveniens possessioni bona fide inchoatæ, ad illud repellendum obligat, adhibita morali diligentia. Si adhuc persistat, probabilius impedit præscriptionem, & obligat dubitantem ad restituendum pro rata, quia sic dubitans non est amplius in bona fide, quod res sit sua, cum de hoc graviter dubitet, maxime si adversæ rationes sint probabiliores.

88. Tertia conditio est *titulus*, sive verus, sive præsumptus, quia sine aliquo titulo non potuit res ab initio bona fide possideri. Est enim *titulus motuum seu causa, cur talis rei acquiratur dominium*. Sufficit autem titulus coloratus, aut prudenter putatus verus: ut si bona fide emas rem ab eo, quem putabas esse verum dominum: quo in casu, esto ita non sit, tibi prodest titulus emptionis ad præscriptionem ordinariam. Eiusmodi titulus non requiritur ad præscriptionem longissimi temporis: quia in tanto decursu potest titulus, vel oblivisci, vel deperdi. Quarta conditio est *possessio civilis*: quia sine possessione præscriptio non procedit; imo possessio hinc dicitur civilis, quia causat effectum civilem possessionis.

89. Inq. 3. An salvetur bona fides requisita ad præscriptionem cum ignorantia juris, vel facti? R. ignorantiam, etiam invincibilem, juris certi impedire omnem præscriptionem: quia *numquam in usurpationibus juris error possessoribus prodest*. ex I. *Numquam* 31. ff. de usurpationibus. Ignorantia vero facti non impedit præscriptionem: quia fere numquam potest dari præscriptio absque ignorantia facti. Nec ignorantia juris dubii ei obest, quando adsunt possessori rationes probabiliores. Si fundamenta dubii æqualia sint, officit præscriptioni, & debet res dividi.

90. Inq. 4. An mala fides possessoris antecedentis noceat successoribus bonæ fidei ad præscriptionem? R. quod successoribus immediato ratione hæreditatis noceat ad

præscriptionem ordinariam: quia refert personam defuncti, vel eadem persona reputatur cum eo. Non tamen noceat ei ad præscriptionem extraordinariam longioris temporis: quia ad hanc nullus requiritur titulus, nisi ipsum tempus. Neque ei officit ad fructus rei præscribendos, etiam tempore ordinario. Nec similiter noceat hæredi mediato possessoris, cum non eadem reputetur persona. Nec tandem noceat successoribus ob titulum emptionis, legati, aut alterius similis propter eandem rationem. Si tamen res sit furtiva, aut immobilis, requiritur tempus extraordinarium ad ejus præscriptionem in successore immediato; secus in successore successoris immediati, seu in successore mediato.

91. Conditio 5. ad præscriptionem requisita est *tempus*. Igitur ad præscriptionem ordinariam rerum immobilium requiruntur decem anni inter præsentem, & viginti inter absentes. Ad præscriptionem rerum mobilium tres anni sufficiunt inter præsentem, & quatuor inter absentes. Contra Romanam Ecclesiam nulla datur præscriptio, nisi post tempus centum annorum. Contra alias Ecclesias, hospitalia, & causas pias triginta anni inter præsentem, & quadraginta inter absentes requiruntur.

92. Tempus hoc oportet esse non interruptum; interruptum autem, vel naturaliter, quia deficit titulus, bona fides, aut possessio, vel civiliter, per litis contestationem, citationem, aut quid simile, vel etiam per dormitionem, quando ob aliquod impedimentum currere cessat tempus præscriptionis: ut ratione belli, pestis, quo tempore tribonalia silere solent. Similiter quoties legitimo defensore bona carent, ut Episcopo, aut rectore respectu Ecclesiarum, curatore, aut patre respectu minorum, & filiorum, dormit præscriptio.

93. Contra pupillos in ætate pupillari nulla datur præscriptio. Contra minores tempus triginta annorum inter præsentem, & quadraginta inter absentes necessarium est. Bona civitatibus legata, donata, aut vendita centum annorum spatium requirunt, ut præscribantur. Præsentem dicitur, qui in eodem territorio degunt; absentes; qui alibi vivunt. Igitur præscrip-

criptio legitima dictis conditionibus munita deservit probabilior pro utroque foro interno, & externo. Sed quia definiere quando vere adsunt præfata conditiones, plus attinet ad juristas, ideo nobis, hæc de præscriptione levi calamo delibasse sufficiat.

## CAPUT III.

## De furto.

## PUNCTUM I.

## Definitio, &amp; divisio furti.

94. Inq. 1. Quid sit furtum? R. est *acceptio occulta rei alienæ invito domino rationabiliter*. Dicitur *acceptio* ad innuendam quamcumque usurpationem, aut retentionem adversus justitiam, seu jus alterius, in quo furtum convenit cum aliis injuriis proximi. Additur *occulta*, per quod secernitur a rapina, quia hæc in præsentia, illud in occulto perpetratur. Fur enim a furto dicitur; eo quod fur præcipue noctis utitur tempore. *Rei alienæ*, per hanc particulam differt furtum ab aliis injuriis contra proximum. Nam homicidium aufert vitam; mutilatio membrum; contumelia honorem; detractio famam; stuprum virginitatem; adulterium lædit thalamum; furtum vero externa bona surripit. Nomine autem *rei* comprehenditur etiam usus, aut possessio. Denique additur, *invito domino rationabiliter*, ad denotandum, quod tunc solum datur furtum, quando accipitur res aliena, juste repugnante domino. Furtum igitur ex genere suo est peccatum mortale prohibitum in septimo Decalogi præcepto. *Exod. 20. Non furtum facies*, & in decimo, *Non desiderabis domum proximi tui*. D. Thom. 2. 2. q. 66.

95. Quatuor species furti assignant juriste, nempe *peculatum*, quod est furtum de rebus reipublicæ; *plagiatum*, seu *plagium*, quod est furtum hominis liberi scienter venditi, aut empti, *sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ, & *abigeatum*, quod est furtum pecorum, aut jumentorum. Verum a Theologis solum dividitur furtum in sacrilegium, & rapinam. Sacrilegium adest quoties aufer-

tur sacrum de sacro; non sacrum de sacro; vel sacrum de non sacro, ut diximus agentes de sacrilegio.

96. Inq. 2. Quid sit rapina? R. est *alatio violenta rei alienæ*. Differt specie a furto propter involuntarium, quod per rapinam irrogatur proximo; quæ ratione est majus peccatum quam furtum; sicut contumelia est gravior quam detractio ob eandem rationem involuntarii reperi in contumelia. Tam rapina, quam furtum sunt contra justitiam commutativam; sed in rapina adest duplex malitia specie distincta, quia eripit bona, & injuriat personam. D. Th. 4. 4.

97. Inq. 3. An furtum sit intrinsece malum? R. furtum manendo in ratione furti est intrinsece malum, sicut homicidium in ratione homicidii. Verum potest Deus facere, quod acceptio rei alienæ non sit furtum, transferendo rerum dominium de uno in alium, uti fecit bonorum Ægyptiorum, quorum dominium traxerunt ad filios Israel. Potest etiam excusari a peccato ex triplici capite. Primo, ob necessitatem extremam. Secundo, ob voluntatem interpretativam domini. Tertio, ob parvitatem materię. Primum caput ab omni culpa, duo posteriora saltem a gravi excusant. Circa primum, ajunt plures, posse in extrema necessitate subripi etiam magna summa pecuniæ, ut sex mille aureorum; & revera si necessarij supponantur pro evadenda dicta necessitate, ubi omnia sunt commutabilia, nequit improbari subreptio, saltem dum dominus non constitueretur in eadem necessitate. Circa secundum vide casum positum *tract. 9. n. 284.* quem admittit etiam Concina *tom. 2. pag. 120. n. xi.* D. Thom. a. 5.

## PUNCTUM II.

## De parvitate materię in furto.

98. Inq. 1. Quæ dicenda sit parva, aut magna materia in furto? R. illam dici absolute parvam, quæ ex se leve nocuum infert proximo; illam vero dici magnam, quæ grave nocuum eidem causare valet, licet de factis non causet. Unde unus obolus respectu operum reputatur levis, unus vero aureus ju-